DE CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
DIE IV. M. JULII A. MDCCCXLII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS CAROLUS LEHMANN
BORUSSUS-ORIENTALIS.

OPPONENTIBUS:
J. PIANKA, med. et chir. Dr.
F. STEINERT, med. et chir. Cand.
E. RUFFMANN, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRUO

OPTIMO, DILECTISSIMO

M. R. G. LEHMANN,

SACERDOTI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum in eo essem, ut legibus academicis satisfacturus dissertationem inauguralem conscriberem, diu anceps haesitavi, quam eligerem materiam. In tanta rerum medicarum copia multa quidem supersunt digna, quae accuratius tractentur atque explicentur, nos autem iuvenes, peregrini fere et novi hospites, ad graviora adscendere non possumus, cum experientia careamus, quae nusquam plus valeat, quam in arte nostra. Tamen rem propositam explicatione non plane indignam existimo, quod neminem latet sententias de chloroseos natura atque indole prolatas perquam varias esse ex antiquissimis temporibus usque ad aetatem nostram. In iis diiudicandis ea, quae ab aliis perscripta sunt, colligere, apte coniungere, comparare, optimaque aliis praeferre conveniat. Tironum enim non est, nova et nondum audita quaedam in medium proferre, sed vera

eligere et monstrare, se praecepta a clarissimis viris tradita bene perspexisse.

Quod si aliqua ex parte mihi contigerit, non frustra hanc me operam subiisse putabo; lectorem autem benevolum rogo atque peto, ut iudicium non nimis severum ferat, sed comiter indulgeat.

NOMINA MORBI.

Maxime in puerili et juvenili aetate proclivitas corporis humani ad certos morbos augetur, quia et animi et corporis conformatio illis vitae temporibus celeriter progreditur, quum et respirationis organa et ea, quae speciei propagandae inserviunt, novum quasi stimulum accipiant. Quos morbos esse frequentiores mulieribus videmus; nam praesertim in iis vitalis tum vis eximie alienatur et uteri evolutio magna affert detrimenta vitae.

Quibus morbis evolutionis jure maximo etiam chlorosis adnumerari potest, quae hoc in libello uberius mihi exponenda est.

Jam ex magna nominum, quae a medicis singulis aegrotationi nostrae indita sunt, copia concludere licet, scriptores de iis, quibus illa nitatur, principiis valde dissensisse. Nomina aut ab aliquo symptomate, quod praestantissimum vel pathognomonicum habebatur, aut ab aliqua sententia, quam complures medici de morbo sibi finxerant, depromta sunt. Alii enim morbum nominant febrem albam, quod febrem accedere putant; alii icterum album, quippe bilis inertiam accusant; alii cachexiam virgineam, morbum virgineum, quia virgines tantum huic morbo obnoxiae esse videantur; alii pallorem virgineum, foedum virginum colorem, morbum album, cachexiam chloroticam; alii febrem amatoriam, melancholiam amatoriam, morbum ex frustraneo veneris desiderio enasci censentes. Recentiori tempore chloroseos nomen (Bleichsucht) nescio quo jure primum obtinuit

locum, quippe quae vox unum tantum symptoma, cutis colorem ex flavo subviridem significet.

HISTORIA ET LITERATURA.

Veteribus, Hippocrati, Galeno, Paulo Aeginetae chloroseos phaenomena non plane incognita fuisse videntur, quamvis eadem non ad formam certi morbi redacta, sed potius aliarum affectionumsequelae, ut mensium retentorum aut suppressorum habita sint. Avicenna, qui peculiari nomine et quidem febris amatoriae morbum nostrum ornavit, iam propius ejus naturae accessisse videtur. Decimo sexto saeculo chlorosis in numerum eorum, qui per se proprium genus statuunt, morborum refertur. Primus perfectiorem aegrotationis nostrae imaginem Joannes Langius adumbravit, qui morbum appellat virgineum. Sub finem saeculi decimi septimi Mappius Alen, Stupanus, Bernhardi eundem ad ampliorem cognitionis gradum evehebant. Recentioribus denique temporibus permulta magna subtilitate atque acumine ingenii ad chlorosin illustrandam a medicis perscripta sunt, quorum tantum nonnullos hic afferre liceat.

W. Rowley, praktische Abhandlungen über Frauenzimmerkrankheiten, Nervenzufälle etc. Aus dem Engl. Breslau 1790.

L. J. C. Mende, Die Krankheiten des Weibes. Leipz. 1810. Bd. I.

C. G. Carus, Lehrbuch der Gynaekologie. Bd. I. Leipz. 1820.

J. C. G. Joerg, Handbuch der Krankheiten des Weibes, nebst einer Einleitung in die Physiologie und Psychologie des weiblichen Organismus. 2te Aufl. Leipz. 1821. Bd. II.

P. Frank, de curandis hominum morbis Epitome. Pars III. Viennae 1821.

A. E. v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. 2te Ausg. Bd. I. Frankf. 1821.

Encyclopaed. Wörterbuch der medizin. Wissenschaften, herausgegeben von den Professoren der mediz. Facultät zu Berlin. Bd. VII. Art. Chlorose. Berl. 1831.

L. Fleckles; Die herrschenden Krankheiten des schönen Geschlechts in der Blüthe des Lebens in grossen Städten, die normalen und physischen Ursachen derselben und deren traurige Folgen etc. Wien 1832.

D. W. H. Busch; Das Geschlechtsleben des Weibes in physiologischer, pathologischer und therapeutischer Hinsicht. Leipz. 1839.

L. Fränkel, Handwörterbuch der Frauenzimmerkrankheiten, mit Einschluss der Geburtsstörungen etc. Berl. 1839. Art. Chlorose.

DIVISIO ET SYMPTOMATA MORBI.

Plurimi medici inter se non consentiunt de definitione chloroseos; alii eam nimis late extenderunt, quum morbum confunderent cum affectionibus similibus, quae non nisi secundaria ratione morbos praecedentes sequebantur; alii chlorosin nimis angustis circumscripserunt finibus, asthenia rati semper eam enasci, quamquam initio certe nonnullarum ejus specierum debilitatem minime occurrere satis constat. Ut veram morbi significationem cognoscamus, sejungamus necesse est ea symptomata, quae secundum ejus naturam ei propria sunt, ab aliis, quae tantum fortuito exoriuntur, aut a morbo antegresso originem trahunt. Sic auctore Busch non inepta in chlorosin veram et chlorosin symptomaticam vel secundariam divisio videtur, quarum imprimis illa, scilicet vera, in hoc libello considerari debet. Chlorosin igitur veram appellamus eam, quae puellis tantum propria, nulla alia re nisi perversa sphaerae sexualis evolutione oritur; symptomaticam autem hanc, quae morbos organicos

sequitur, ita tamen, ut hisce pubertatis tempore organon vel systemata corporis singula tantum capiant detrimenti, quantum ad perturbandam normalem conformationem sexualem requiritur. Itaque haec species cum symptomatibus ex morbo primario obortis majorem complectitur ambitum. Chlorosis vera vel idiopathica rursus in duas potest abire species, quarum altera praecoci rapidaeque organorum sexualium evolutioni, quae minime organismi conformationi retardatae respondet, altera vero imbecilla vel prorsus deficienti rerum sexualium evolutioni, organis vel systematibus singulis vel corpore toto celeriter perfectis, originem debet. Illa organismi torpore statim proveniente, haec nervosis aut febriculosis motibus, initio quidem saepe manifestis, excellit. In ambabus igitur formis disproportio inter evolutionem sphaerae sexualis et organismi totius cernitur.

Qui chlorosin entonicam vel floridam, et atonicam vel torpidam statuunt, hi parum status sexualis systematis rationem habent, qui semper primum exquiri debet saepeque, qualis methodus curae instituenda sit, indicat.

Symptomata secundum organa vel systemata, quae iis affliguntur, iam afferre volumus.

1) Primum iam externum corpus mutatam prae se fert speciem. Cutis, praecipue faciei, colorem induit varie tinctum, modo album, pallidum vel cereum, si, functionibus organorum digestioni inservientium minus affectis, magna organismi debilitas respirationi et inde justae sanguinis oxygenisationi injurias infert; modo magis lividum, viridescentem vel flavescentem vel sordide luridum, si abdominis organa destructione quadam labefacta sunt. In secunda chloroseos forma fugax interdum rubor faciei, sed magis lividus morbi initio observatur. Mucosae quoque tunicae, quatenus externe conspiciuntur, labia, gingivae, palatum et lingua saepe muco crasso obducta, neque minus tunica oculorum conjunctiva et carunculae lacrymales insolito suffunduntur

pallore. Palpebrae tumidae, inflatae, sordide subfuscae, annulis lividis cinctae, nonnunquam praesertim inferiores sub oculis languidis, somnolentis, subsidentibus sacculi instar dependent. Cutis tota vitalem amittit turgorem, laxa ac flaccida redditur, temperies ejus exilis, transpiratio vel minima vel nulla. Totum corpus nunc magis macrum, nunc magis pastosum et inflatum praecipue ad extremitates.

2) Vasorum systema mutatum apparet. Sanguis e vena detractus pallidus est, aquosus et minus coagulabilis. Cruoris et fibrinae quantitas deminuta, seri autem valde adaucta invenitur. Colombat dicit hanc seri abundantiam, quam hyperchydremiam vocat, alii autem in dubium vocant, status plethorici et lymphatici turgoris, sicuti palloris, debilitatis et infirmae nutritionis, causam esse habendam. Ferri, quod sanguini inest in statu sano, minor ei copia, ut experimenta chemica demonstrant, admixta est. Arteriarum pulsus variam in variis chloroseos speciebus, atque adeo in eodem variis in temporibus casu mutabilem et saepe contrariam praebet indolem. Parvus, debilis, tardus esse solet in aegrotis, quarum vis vitalis iam per se infirma, aut prava sanguinis mixtione fracta est; frequens autem et duriusculus, ubi plethora adest aut corpus celeriter crescit; frequens, parvus et contractus, quando aegrotae constitutione irritabili, nervosa utuntur. Symptomata congestionum quoque sanguinis saepissime ad caput tendentis obversantur, unde saepe vertigo doloresque occipitis oriuntur, qui quovis motu celeriore valde augentur. Attamen hi dolores non semper congestionibus, sed interdum etiam systemate nervoso alienato procreantur. Spirandi difficultates non parvae sunt, quae animi affectibus, corporis contentionibus, imprimis locorum acclivorum et scalarum adscensu, valde adaugescunt. Aegrota, quum plerumque aegre et quasi superficialiter tantum spirare possit, interdum profundas fortesque ad sanguinis oxydationem augendam inspi-

rationes tentare cogitur. Cordis sunt vehementes motus, qui minima corporis aut animi agitatione in palpitationes transeunt, quae imprimis erethicae se applicant formae. Quorum symptomatum causa non in vitio organico, sed potius partim in congestionibus, partim in serosa normale cordi incitamentum non praebentis sanguinis conditione, partim in perversa nervorum vitalitate cernitur. Ope stethoscopii magnis arteriis, ut carotidibus vel subclaviae appositi, abnormem quasi a folle productum strepitum, vel etiam arteriarum tanquam cantum audimus, qui, ut observatio attenta docet, rhythmica capit incrementa, et susurro turbinis (bruit de diable) prope accedit. Strepitus, si aegrota vires valde ac diu intendit, subito interrumpuntur, et in arteriis cervicalibus deminuuntur, vel plane evanescunt, si a vase, cujus sonus percipitur, larynx ad latus removetur. Omnes hi strepitus originem ducunt ab hyperhydremia, i. e. quantitate seri, indeque totius corporis sanguinis copia, adeo adaucta, ut vasorum lumina ad fluidum, quod ea percurrit, neutiquam quadrent, itaque eorum parietes frictionem vel ictum perpetiantur.

3) Digestionis turbae non raro inveniuntur: appetentia ciborum exigua, dysorexia, anorexia. Aegrotae, si non plane accommodissimos digestioni cibos, sed spissiores ingerunt, obtuso in scrobiculi cordis regione dolore, nausea, vomituritione, cardialgia et ipso vomitu afficiuntur. Interdum autem ciborum appetentia nimis augetur aut alienatur; res enim non esculentas insolitasque, cretam, carbones, calcariam, arenam aliaque comedere volunt. Lingua saepe tenaci et crasso muco est obtecta, sapor pituitosus, amarus, acidus; venter inflatus, tensus; quandoque lienis, hepatis, venae portarum infarctus, unde affectiones polycholicae; helminthiasis, alvi dejectiones irregulares, saepissime obstructio, quam nonnunquam diarrhoea excipit; urina plerumque albida et copiosa, interdum jumentosa et de-

minuta invenitur. Etiam vasa secernentia atque absorbentia et omnino systema lymphaticum torpescunt. Inde humores serosi in tela cellulosa retinentur, habitus corporis inflatus, oedemata extremitatum, anasarca atque adeo morbo ingravescente ascites et hydrothorax. Saepe mucosarum quoque tunicarum secretio est perversa atque adaucta, unde catarrhus pulmonum, intestinorum, aut fluor albus prodit. Quae omnia phaenomena magis primae, i. e. torpidae formae propria sunt.

4) Neque minus sexuales mutationes aperte se ostendunt. In prima chloroseos forma, ubi, antequam organismus justa gaudet energia, systema sexuale praemature evolvitur, ejus organa, etiamsi exculta, omni vigore carent: labia pudenda et vagina laxa reperiuntur; menses modo parciores, modo largiores, semper decolores, serosi, magnis cum doloribus profluunt, vel in muci tantum excretionem convertuntur; coeundi libido aucta, concipiendi vero facultas minuta, persaepe magna ad onaniam propensio. In secunda forma, quae ab evolutione sexualis systematis impedita, corporis autem reliqui accelerata dependet, partes genitales atrophicae apparent, earum functiones, veneris cupiditas deficiunt, fluxus menstruus nullus vel modo imperfectus. Utraque autem forma, si morbo tempus longum perdurante nutritio iam valde est laesa, in debilitatam vel plane exstinctam actionem sexualem mox convenit.

5) Accedunt porro imprimis in forma secunda vel erethica morbosae systematis nervorum affectiones. Sensibilitas aut exaltata est, aut penitus torpida languescit, reactio semper deminuta. Oculorum scintillatione, visus hebetudine, aurium susurro, vertigine, cephalaea, quae modo occiput, modo synciput, modo latus unum occupat, odontalgia, cardialgia, anxietate, cordis palpitationibus, doloribus regionis lumbalis contrahentibus, artuum tremore et varii generis affectionibus hystericis aegrotae saepe laborant. Neque minus etiam mentis alienationes

in conspectum veniunt. Aegrotae enim fastidiosae, tristes, difficiles fiunt, solitudinem amant et ad morositatem, iram, melancholiam propensae sunt. Aliae et quidem ingeniis ac memoria imbecilles, cogitationum vacuitate prehenduntur; aliae organismi evolutionem nimis celerem adeptae, levissimo quoque incitamento vehementer excitantur, animo sunt valde inconstanti, risum fletumque saepe sine ulla causa movent. Flagrante veneris cupiditate avidissime scripta argumenti erotici legunt, et phantasiam imaginibus inquinant libidinosis. Libenter somno indulgent, raro tamen tranquillo ac recreanti.

6) Omnium musculorum mollities laxitasque reperitur, defatigatio praecipue versus columnae vertebralis decursum atque extremitatum inferiorum, incessus lentus, tardus tantaque lassitudo, ut aegrotae levissimum quemque motum recusent. Vehementem musculorum contentionem artuum tremor, apnoea, cordis palpitationes sequuntur. Nihilo secius laborantes, si firmiter acriterque volunt, magnas corporis contentiones, praecipue gratas, ut saltationes, sine ulla fatigatione tempus longum sustinere valent.

Plura tamen omnium horum morbi symptomatum abesse possunt; variant phaenomena per constitutionem et organorum singulorum ad certos morbos proclivitatem, modo majore, modo minore intensitate pollent.

Jam nonnulla facere volumus verba de chlorosi symptomatica vel secundaria, ubi phaenomena chloroseos cum morbi praecedentis, ex quo haec nata est, symptomatibus complicata sunt. Ansam autem chloroseos omnes morbi praebent, qui ad systematis sexualis evolvendi organa functionesque aut retartanda, aut perverse excitanda, plurimum valent. Quibus adnumeranda haec sunt mala: cachexiae, ut scrophulosis, rhachitis, scorbutus, impetigines; vitia organica, praecipue partium genitalium, cordis et pulmonum; inflammationes acutae et

chronicae; febres intermittentes, nervosae, exanthematicae; intumescentia lienis, mesenterii glandularum, asthenia ventriculi.

DECURSUS.

Decursus chloroseos plerumque est chronicus, in annos etiam extendi potest, et praecipue quidem in puellis, quae jam antea debili corporis habitu praeditae erant. Hic initio exiguis tantum molestiis, ciborum appetentia hilaritateque deminuta, deinde seriori tempore externa corporis specie mutata, doloribus vagantibus, tempore, quo menses fluere debent, vehementer accrescentibus, denique digestionis, vasorum nervorumque systematis perturbationibus morbus manifestatur. Chlorosis autem ea, quae celeriter exorta est, intra aliquot dies, plerumque jam naturae vi medicatrice exstingui solet; semper autem hoc in casu ad reditum valde inclinat, neglectaque in tempus perlongum protrahi potest. Initium hujus formae febrilibus sanguinis motibus, menstruatione cessante denotatur, mox autem vires franguntur, congestiones, dolores tempore fluxus menstrualis vehementissimi, acutissimi apparent, organa vero digestioni dicata minus turbata observantur.

Quod ad morbi exitum attinet, ille aut ad sanitatem, aut morbum alium, aut mortem pervenire potest. In justam valetudinis conditionem symptomatibus paullatim decrescentibus aegrotae restituuntur; attamen semper timendum est, ne morbus redeat. Sin vero malum neglectum diu trahitur, ex vegetationis lapsu in abdominis intestinorum infarctus et vitia organica abit, in mutationes pulmonum et cordis organicas in asthma, phthisin, asciten, hydrothoracem, inflammationes, haemorrhagias, scorbutum, febrem hecticam etc.; denique in systematis nervosi morbos, in mentis alienationes, melancholiam, febrem nervosam, hysterismum, epilepsiam etc.

Morbus itaque, per se ille quidem rarissime vel nunquam lethalis, sed eo frequentius morbis secundariis ex ipso exortis summa conflat pericula, adeo mortem infert.

DIAGNOSIS.

Chloroseos diagnosis imprimis ex aetate, sexu, e propriorum symptomatum serie, qua ea in lucem prodeunt, fluere debet; nonnullas autem difficultates quibusdam in casibus afferre potest. Magnam similitudinem chlorosis exhibet cum anaemia, quae omnia propemodum illius imitatur phaenomena. Attamen inter utrumque morbum aliqua exstat differentia. Chlorosis enim hunc prae se fert characterem, ut in causis, quibus congenita est, saepe occultis, in levitate primarum affectionum, decursu chronico magna ab anaemia discrimina ostendat; ut porro symptomata ad majorem evolutionis gradum adcrescere possint, nervosaeque affectiones exquisitiores procreentur. Frequentissime enim chlorosis obscure nascitur, chronicumque ac tardum absolvit decursum. Anaemia autem causis valde perspicuis, ut eximia succorum qualicunque jactura, antecedentibus inauspicato magis et multo rapidius, perturbationibus jam initio distinctis ac valde urgentibus stipata invadere solet. Praeterea hoc malum sexum utrumque, aetatem quamque ingruit, sanguinis penuria denotatur: chlorosis vero pubescentes tantum puellas petit, eamque in sanguificationem vim exercet, ut abundantia seri formetur. Neque minus icterus colore flavo et cutis et scleroticae, conditione faecum et urinae propria, defectu systematis nervosi et sexualis vitiorum, absentiaque abnormium arteriarum strepituum a chlorosi vera facile distinguitur. Cum anasarca quoque morbus noster confundi potest. Differentia vero in eo posita est, quod tumor hydropicus, qui in chlorosi ad pedes, interdum ad totum corpus occurrit, vespertino tan-

tum tempore apparet, mane rursus evanescit. neque. si morbus nondum ad gradum majorem pervenit, digitorum impressio ullam efficit foveam. Cordis porro morbi organici nonnulla, quae cum chlorosi conjuncta esse solent, symptomata nobis exhibent: pallorem, oedema pedum, dyspnoeam, vertiginem, cordis palpitationes, strepitus cordis arteriarumque abnormes. Si attentum vero animum in tempus convertamus, quo haec symptomata compareant, nempe semper post chlorosin jam excultam non ante, sed intra pubertatem; si eorundem symptomatum variis temporibus variam intensitatem, eorumque paene perfectam interdum, praecipue in intervallis, quae singulis mensium eruptionibus intercedunt, remissionem et chlorosi decrescente abolitionem; si denique aetatem, sexum, temperamentum, pulsum, totum decursum ferrique in chlorosi utilitatem consideremus, in errorem in diagnosi statuenda non incidemus. Quid dicam de aliis morbis, qui colori chlorotico appropinquante pallore conjuncti sunt; quid de chronicis ventris affectionibus ac destructionibus, de gastralgia, de tympanite, de irritatione intestini; quid dicam de tuberculosis vel cancrosis degenerationibus? Quae omnia mala sede, momentis aetiologicis peculiaribusque symptomatibus facile cognosci possunt.

SECTIONES CADAVERUM.

Ad pathologicas in hominibus chlorosi defunctis mutationes inventas, quae ab hoc morbo solo factae sunt, nihil aliud nisi vasa sanguine vacua, et pallor mollitiesque musculorum referenda sunt. Omnia alia vitia in funeribus reperta vel ex morbis chlorosin praeeuntibus ac generantibus, vel ex ejus effectibus exorta sunt. Huc pertinent aquae sub cute iu cavo thoracis, pericardii et abdominis collectiones, pulmonum exulcerationes, cordis dilatationes et mollities, deformitates et ossificatio-

nes valvularum in cordis ostiis positarum, hepatis color pallidus, ventriculi ambitus contractus atque deminutus, lienis degenerationes, mesenterii glandularum indurationes, denique partium genitalium a natura aberrationes, orificii uteri concretiones, uteri atrophia, cartilaginosa portionis vaginalis durities, ovariorum justo minor evolutio, atresiae oris uteri et vaginae.

NATURA MORBI.

Si tam multas easque diversissimas tam veterum quam recentiorum pathologorum therapeuticorumque de natura chloroseos atque indole sententias respiciamus, omnes videmus unum alterumve symptoma eminens causam morbi habuisse proximam; quarum praecipuas attingere nobis jam liceat.

Multi fuerunt, qui chloroseos causam in laesa digestionis viscerumque abdominalium, lienis praecipue functione, vel in reproductionis actione depressa quaerendam esse putarent. Experientia autem docet, systematis gastrici affectiones non prius nisi post morbum jam exortum, sympathico connexu provocatas, evadere, adeo nonnullis in casibus prorsus deficere, neque ad chlorosis peculiaria symptomata efficienda et explananda sufficere, quoniam nec quamque aetatem nec sexum virilem, quamvis digestionis perturbationibus saepissime expositum, chlorosi unquam corripi satis constat.

Alii causam proximam statuerunt esse perversitatem systematis vasorum propter minorem copiam, vel imperfectam formationem materiarum irritantium, i. e. cruoris materiaeque fibrinae. — Alii morbum a systematis lymphatici, vasorum tum secernentium, tum absorbentium asthenia deducunt, qua chylificatio turbetur, unde manca sanguificatio oriatur. Quarum sententiarum levitas eo demonstratur, quod succorum in nostro morbo cacochymia sensim sensimque tantum incedit, et non

nisi affectus nutritionis turbatae haberi debet. neque patet, cur chlorosis puellas pubescentes solas invadat.

Neque desunt, qui morbi culpam proximam pubertate excitatae nervorum gangliorum astheniae tribuant, qua omnes, quibus illi praesunt, functiones organicae, i. e. digestionis, assimilationis, sanguificationis, nutritionis et generationis, turbentur. Etsi id verum quidem sit, tamen quod attinet morbi causam proximam refellendum est, quum e simplice asthenia nervosa alia, quam quae chlorosin constituunt, symptomata emanare nemo infitiari possit; unde colligamus oportet illam astheniam modo effectum, non momentum ad constituendum morbum essentiale exhibere.

Multi denique medicorum sphaerae sexualis anomalias ad excitandam chlorosin maximi momenti esse contendunt, quorum alii hanc amenorrhoeae, alii torpori organorum sexualium, vel functionis eorum defectui attribuunt. Amenorrhoeam autem non causam, sed potius sequelam chloroseos esse optime ex his satis elucet, primum quod chlorosis interdum catameniis fluentibus, imo praemature exortis et initio saltem rite continuatis apparet; tum si menstruatio vere cessat, activitatem organorum sexualium non exstinctam, sed alienatam tantum esse statuere debemus, quoniam menstruationis locum plerumque muci secretio tenet; deinde quod chlorosi sublata saepe mensium anomaliae nihilo secius perdurant; denique chlorosi affectae mulieres utero concipere possunt, id quod amenorrhoea laborantibus contingere non solet. Jam proprius ad veritatem accedere videntur, qui, ut Carus, hoc malum a nisus formativi perturbatione, instantis vel modo evolutae pubertatis ratione habita, deducunt; vel qui retardatam accusant systematis sexualis, praecipue uteri, vitalitatem, quae circa pubertatis annos ceteris corporis organis functionibusque parum respondeat, impediatque, quominus evolutionis processus rite procedant; vel qui

secundum Mende morbi sedem in tenera et imperfecta collocant organisatione, quae nondum sit satis confirmata, ut magnas ad pubertatem excolendam necessarias contentiones virium sustinere possit. Haec singula, quae a scriptoribus sejuncta sunt, atque spectant ad systema sexuale momenta se invicem supplent. Quae si complectimur et morbosas affectiones non solum a debilitate, sed etiam a nimis excitata quod attinet evolutionem energia vel organorum genitalium vel organismi, et inde sublata functionum corporis harmonia derivamus, rem melius nec ita anguste explicabimus. Etenim partim impedita evolutio vel debilitas organorum, quae generationi praesunt, in nonnullis puellis chloroticis minime cernitur, quippe quae mammarum plenitudine, vigore virgineo et coeundi appetitu, qui quandoque adeo auctus est, neutiquam careant: partim organismo puellarum, quae chlorosi laborant, non semper debilitas inest, sed demum morbo ipso gignitur, quum eae initio saltem bona et florida valetudine fruantur, corporisque evolutio adeo modum excedat. Itaque auctore Busch in hanc sententiam discedimus, chloroseos causam proximam ex anomala evolutione sexuali, cum omnibus organis et functionibus minime congrua, proficisci. Quamdiu in illo statu singula organa vel systemata organismi non tam laesa apparent, ut morbi acuti aut structurae mutationes inde evadant, variae affectiones morbosae obviae esse possunt, quae symptomata chloroseos constituunt. Si igitur pubertatis tempore organa genitalia propter aliqua momenta nimis, praemature excitata imbuuntur actione, aequilibrio, quod inter organa et systemata intercedit, sublato, vitalitas sexualis, cum detrimento totius organismi, qui debitis conditionibus impar est, et cum damno conservationis progrediatur, chloroseosque prima forma subsequatur necesse est; sin vero imbecillitas organorum sexualium cum nimis accelerata singulorum corporis organorum vel systematum conformatione conjuncta est, non

potest fieri, quin evolutio a norma recedat et chloroseos forma altera procreetur.

Hic silentio praeterire non possumus morbum sequiorem tantum in pubertate sexum infestare, quia puellarum pubertas sola est, quae tantam in totius organismi mutationes vim exercere possit.

CAUSAE REMOTAE.

Ad causas remotas referendae sunt, quaecunque legitimum, qui inter singula corporis organa, functiones et systemata exstat, consensum pubertatis periodo perturbare et impedire possunt. Aliae enim organismo debilitando simulque systemati sexuali excitando; aliae e contrario organismo nimis excitando, corroborando, sexuali autem systemati debilitando sunt idoneae. Sed qui eas tantum causas, quae imbecillitatem pollent afferre, accusant, valde propterea errant, quod illae, si solae et aequabiliter corpus vexant, non chlorosin, sed potius cachexias, ut scrophulosin, scorbutum efficiunt, neque in chlorosi celeriter exorta admitti possunt, quum ad efficaciam inimicam exserendam semper tempus longum requirant, aut, quod non semper accidit, magna debeant esse vehementia.

Jam ad causas singulas, quae afferri solent, enumerandas accedamus.

Quod attinet ad causas praedisponentes, iis adscribenda est dispositio hereditaria, scrophulosa, temperamentum melancholicum, praeproperum corporis incrementum, coitus abusus aut defectus, constitutio laxa, tenera, infirma, sensilis vel illa acquisita e perversa, delicata educatione, qua physica cultura neglecta ingenium praemature evolvitur, itaque puellae in primam chloroseos formam incidunt necessario. Vitam enim degunt plerumque sedentariam, cubicularem, vel otiosam, mollem,

somno in lectis calidioribus nimis indulgent. Praematurum cum viris commercium, lectio librorum obscoenorum cum valetudinis damno cupidines accendunt. Irritationes genitalium, stuprum manibus peractum oritur, quibus mens imbecilla imperare nequit. Sed haec jam ad causas occasionales pertinent, quibus praeterea adnumerantur: victus tenuis, vilis ac digestu difficilis, vegetabilium nimia copia, abusus calidorum, relaxantium potuum; aër frigide humidus, domicilia humida, vaporibus corruptis repleta; justo majores corporis contentiones aut ignavia, exercitationum defectus; vestitus ineptus; cutis transpiratio impedita, refrigeratio; jactura nobilium succorum; menses celeriter et continuo suppressi, vel profuse fluentes; nimiae ingenii contentiones, meditationes; animi denique pathemata deprimentia, tristitia, moeror, curarum copia, infelix amor, desiderium patriae, sollicitudo. Quae postremo nominata sunt momenta, praecipue ad systema sexuale determinant vim debilitantem, dum corpus satis robustum est, ita ut ad alteram chloroseos formam producendam multum conferant.

Chloroseos symptomaticae causas jam supra commemoravimus, quibus adhuc addenda sunt vitia nonnulla organorum genitalium, ut uteri indurationes, atrophia, atresia orificii uteri, vaginae vel hymenis concretio.

PROGNOSIS.

Jam ex iis, quae snpra de symptomatologia et decursu morbi diximus, prognosis, qualis sit, definiri potest. Chlorosis vera in universum faustam largitur prognosin, quum recens exorta ac levior saepe vi naturae medicatrice, vel diaetetico vel pharmaceutico adjumento facile sanetur. Sunt vero variae rerum conditiones, ab aegrotarum aetate, constitutione, varietate formae et causarum morbi, a stadio iamiam progresso, a

complicatione morbi atque etiam ab externo aegrotae statu pendentes, quae chlorosin plus minusve periculosam reddere queant. Ergo quo jejuniores puellas morbus adgreditur, quo firmior constitutio est, quo propius chlorosis ad formam erethicam accedit, quo facilius causae reperiri ac removeri possunt, quo citius remedia apta administrantur, atque minores sunt complicationes, eo meliorem eventum augurari possumus. E quibus jam per se elucet, ubi majora instent pericula, vel de vita desperandum sit. Imprimis tristis est exitus timendus, si chlorosis protracta vel male tractata abit in morbos supra dictos, aut si morbi antecedentes, qui ei ansam praebuerant, insanabiles vel expugnatu difficiles sunt.

CURATIO.

Ad prohibendum morbum momenta praedisponentia et occasionalia, ne in lucem prodeant, praecaveas, primaque ab infantia et physica et psychica educatio apptissime instituatur necesse est, ut quaecunque et animi et corporis vires infirment prohibeantur, et evolutiones omnium organismi partium et systematum inter se conspirent.

Sin vero chlorosis symtomatibus veris jam manifestatur, necesse est animus advertatur ad causas remotas avertendas, ad medendi methodum naturae morbi ipsi accommodandam, ad symptomata quae urgeant lenienda, et complicationes morbosque secundarios sanandos.

Quod attinet ad causalem indicationem, omnes, quae supra inter causas occasionales enumeratae sunt, noxiae removeantur. Saepe jam contigit, ut valetudo adversa vivendi sola ratione mutata, nullo medicamine adhibito, in integrum restitueretur. Primum igitur regimen et mentis et corporis singulis casibus consentaneum adhibendum est. Plurimum attentionis psychicae

aegrotarum conditioni impendatur. Summa cum cura est providendum, ut mens aequabiliter atque corpus excolatur. Idcirco puellae evitent, ne animi facultates praemature ac solum severioribus studiis evolvant, libris lubricis legendis imaginationes libidinosas procreent, liberius cum viris versentur, nec onania se maculent aut systema genitale irritent. Omnes mentis affectus vehementes, praesertim deprimentes, coerceantur, animus afflictus suavibus hominum hilarium colloquiis, itineribus parvis, aut ludis socialibus ad jocum, laetitiam cieatur. Vita sedentaria vel plane est deserenda vel maxime restringenda. Coelo sereno et sicco ambulationes, corporis exercitationes, leves labores domestici, hortenses, aut si vires nimis infirmae sunt, vectura, equitatio valde conducunt. Somnus sit modicus; nec intra culcitas plumeas capiendus.

Inter palmaria curae desideria corporis quoque regimen idoneum referatur. Victus organorum, quae digestioni dicata sunt, viribus ac corporis constitutioni conveniat, modo paullo incitantem, modo sedantem exerceat vim. Cibi in universum faciles concoctu, bene nutrientes, caro tenera, juscula, olera recentia, corpus non inflantia; pro potu vinum aqua temperatum vel cerevisia optime fermentata porrigenda sunt. Aër, quem aegrotae captant, sit purus, tepidus, siccus; domicilium altum, amplum atque etiam lucidum, in regionibus elevatis situm. Vestitus, magis calidus, anni tempestati congruat; cuti laxae, torpidae, ignavae occurras stimulante, praesertim eo, quem Flanell vocant, panno, qui, si calor inde exortus cutem etiam magis relaxans evitari debet, cum sericis velis commutetur. Summam etiam commendes munditiem, praecipue balneis aptis adjuvandam.

Nec minus morbi, qui ante pubertatis tempus oborti sunt et chloroseos symptomaticae ansam praebere possunt, quam brevissime et accuratissime sanandi sunt.

Jam pervenimus ad indicationem nosomaticam, ex ipso morbo proficiscentem, quae ad aegrotae constitutionem formasque morbi varias accommodanda est. In prima forma, ubi erethismus viget systematis sexualis, organismus autem debilitate affectus est, hic, ut functionibus sexualibus secundum aetatem praeesse possit, remediis iis, quae illum erethismum non augent, corroborandus est. Huic scopo idoneum mentis regimen, corporis sub divo sereno motus, maxime balnea fluviatilia vel salaria respondent. Consentaneum etiam est, genitalia aqua frigida lavare, quin imo, si eorum irritatio ad summum pervenit vestigium, clitoridem cultro desecare. Interdum, si cruditates, perversa nimiaque secreta intestinis insident, si inertia totius systematis lymphatici deprehenditur, remedia leviter purgantia, rarius emetica in usum vocanda sunt. Delectus illorum e varia tubi intestinalis virium indole habendus est; saepissime prosunt rheum, senna, aloe, cum aromaticis conjuncta. — Ubi vero jam torpor universalis morbo per tempus longum protracto vel inepte tractato exstat, primum remedia amaro-aromatica, tum tonica leviora sunt propinanda, denique evanescentibus dyspepsiae symptomatibus ad ferri usum transeundum, victu animali et vini generosi, praesertim rubri, potu optime adiutum. Huc igitur pertinent: rad. calam. aromat., cascarillae, flavedo cort. aurant., flores aurant.; lignum quassiae, rad. gentianae, hb. trifolii fibril. etc. Quod pertinet ad ferri, in hac chloroseos conditione fere specifici, praeparata a mitioribus ordiendum, et ad graviora paullatim adscendendum est. Quorum singula hac fere serie porrigi possunt: ammon. mur. martiat., tinct. ferri acetic. aether., vinum mart., tinct. ferri mur., denique ferrum carbon. et limat. ferri, quae quandam digestionis vim requirit et optime conjungitur cum aromaticis, ut cinnamomi praeparatis, vanilla arom. etc., atque etiam cum rheo, quippe quibus digestio sublevetur et alvi obstructio, quam ferri usus saepe

provocat, removeatur. Ferrum justo tempore adhibitum mirifico modo utilitatem affert. Nam genitalia muliebria, totum organismum corroborat, tonum fibrarum firmat, majorem cruoris sanguini copiam et plasticitatem conciliat, ruborem malarum laetum certo restituit, quin etiam systematis nervosi sensibilitatem in chlorosi saepe morbosam, auctam, si ejus causa in mera, simplice debilitate organismi cernitur, deprimit, reactionemque nervorum fortem inducit. Attamen sordes in intestinis accumulatae, congestiones ad singula organa activae, pulmonum morbi etc. ferrum, ut indigestiones, labes gastricae, haemorrhagiae inde oriundae impediantur, non sinunt adhiberi.

Majorem etiam efficacitatem quam ferri praeparata artificialia praestant aquae martiatae naturales, praesertim quibus acidum carbonicum inest. In his saluberrimae sunt: aquae Pyrmontanae, Driburgenses, Sualbacenses, Egeranae, Cudovenses et ad balnea et ad potum adhibendae. Si earum usum paupertas vetat, ad balnea artificialia, e globulis martialibus aut liquore ferri muriatici parata, vel ad balnea aromatica confugiendum est.

Ubi autem chlorosis alteram induit speciem, quae in sexuali evolutione repressa organismo vigente consistit, alia methodus in medium proferenda est. Ad congestiones levandas et irritationes, quae hic interdum occurrunt, alvus saepe tarda cieatur per apta purgantia, moderata sanguinis e vena vel per hirudines detractio scopo palliativo instituatur. In systemate sexuali corroborando ac libidine coeundi adhuc dormiente excitanda cavendum est, ne medicaminibus aut cibis tonicis, stimulantibus organismi erethismum etiam magis augeamus. Satius erit, hoc in statu acida mineralia, quae functionem sexualem instaurent, organismi irritabilitatem maxime sedent, in usum vocare. Praeterea conducunt incitamenta, quae ad genitalia ipsa, vel circa ea applicata organismo non sunt damno, ut

vapores aromatici, balnea tepida, fomentationes aromaticae, calidae, pediluvia. Abdomen et extremitates vestimentis calidis a frigore defendantur, et quidquid est animi pathematum vividiorum amoveatur.

Quod attinet ad menstruationem anomalam, nunquam catamenia provenire possunt, nisi prius chlorosis ipsa expugnata est; sublata enim causa tollitur effectus. Tum demum, si, quamquam chlorosi profligata corporis vires, ut functionibus sexualibus bene providere possint, satis refectae sunt, tamen catamenia non apparent, curatio interdum iis remediis absolvatur necesse est, quae mensium profluvium promoveant, semper quidem summa cautione adhibita.

Consilium vero, quod primus Hippocrates dedit, matrimonium ineundi, ex mea sententia modo utile tum est, si appetitus coeundi genitalium evolutioni, ceteris sexualibus functionibus atque etiam totius organismi viribus respondet. Nam in aliis omnibus casibus genitalium irritatio coitu adducta infirmitatem auget, et organorum sexualium, quae adhuc perfectione carent, functiones valde perturbare potest. Quid denique e graviditate timendum, quid e partu?

Porro symptomata urgentia secundum peculiarem naturam, quam habent, sunt lenienda vel removenda.

Irritatio nimia plexuum nervorum abdominalium, receptivitas omnino valde aucta, symptomata spasmodica medelam sedantem antispasmodicam postulant, ut opium, castoreum, asam foetidam, moschum.

Ad erethismum systematis vasculosi, vel congestiones restringendas hirudines, cucurbitulae, remedia laxantia, derivantia magni sunt momenti. Pulmonum affectiones, respirationis difficultates, si a nervis proficiscuntur, liquore ammonii succinici, valeriana, floribus benzoes, sinapismis; ubi congestionibus oriuntur, potione Riveri, aqua laurocerasi, remediis derivanti-

bus; quando denique in debilitate positae sunt, phellandrio aquatico, arnica, senega oppugnandae sunt.

Labes gastricae, prout aut a sordibus aut ab affectionibus nervosis originem trahunt, varie tractandae sunt.

Quod spectat ad complicationes et morbos, qui chlorosi aut ansam praebuerunt, aut fortuite superveniunt, aut originem debent, ea ipsa medendi vel prohibendi ratio valet, quam therapiae specialis praecepta iis convenientissimam edocuerunt.

In convalescentia methodus roborans, imprimis usus ferri per aliquod tempus est continuandus, quum saepius infirmitas virium remaneat, morbusque facile sit recidivus.

V I T A.

Ego, Augustus Lehmann, evangelicae confessioni addictus, natus sum d. VII mens. Februarii anno MDCCCXVIII Angerburgi, oppido Borussiae orientalis, patre Augusto Beniamino, quem ante multos annos morte mihi ereptum lugeo, matre Guilelma e gente Grinda, quam mihi diu salvam servare velit Deus optimus, maximus. Primis literarum elementis in urbe patria imbutus, annum undecimum agens adii gymnasium Lycense, quod tunc directore Rosenheyn, viro humanissimo, florebat. Anno MDCCCXXXVII autumnali tempore cum maturitatis testimonio dimissus Regiomontium discessi, ubi in numerum civium academiae almae Albertinae receptus hisce interfui scholis.

Cel. Rupp „Goethes Faust" mihi interpretatus est; Ill. Klose methodologiam me docuit; Ill. Rosenkranz

encyclopaediam philosophicam, logicen et metaphysicen; Ill. Meyer botanicen; Ill. Dulk chemiam experimentalem, analyticam, zoochemiam et pharmaciam; Ill. Moser physicen experimentalem et sensuum; Exp. Burow osteologiam; Ill. Rathke zoologiam, splanchnologiam et angiologiam; Exp. Grube anatomiam comparatam et zootomiam; Ill. Burdach jun. myologiam, neurologiam et artem cadaverum rite secandorum; Ill. Burdach sen. historiam medicinae, physiologiam, biologiam; Ill. Seerig chirurgiam et artem fascias rite imponendi; Ill. Sachs pathologiam, therapiam. Scholam clinicam medicam sub auspiciis Sachs, chirurgicam duce Seerig biennium frequentavi.

Verno tempore anni MDCCCXLI Halam Saxonum petii, ibique hos audivi viros disserentes: Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali; Exp. Krahmer de materia medica et arte formulas medicas componendi. Scholis vero clinicis interfui medicis apud Ill. Krukenberg, chirurgicis apud Ill. Blasius.

Tum auctumno anni MDCCCXLI ad hanc almam universitatem accessi, ubi clinico interfui paediatrico apud

Cel. R o m b e r g, chirurgico et ophthalmiatrico apud Ill. J u e n g k e n; obstetricio apud Ill. K l u g e.

Quibus omnibus viris maxime venerandis, maximeque de me meritis, summas quas possum habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantnr.

THESES.

1. Conceptionis signum certum non exstat.
2. Signum mortis certum praeter putredinem corporis non habemus.
3. Medico nunquam hominem necare licet.
4. Synchondrotomia in arte obstetricia plane reiicienda.
5. Pulsus nonnunquam signum fallax.